

**CONVOCAZIONE DELLA 2^a ASSEMBLEA GENERALE
DEL SINODO DEI VESCOVI**

SYNODUS EPISCOPORUM - PROT. N. 1300/70 - E CIVITATE VATICANA, DIE 8.XII.
1970. Lettera diretta al Cardinal Presidente.

Venerabilis Frater,

magno honori mihi est Tibi transmittere adnexum folium, quo Em.mus D.
Ioannes Card.. Villot, a publicis Ecclesiae negotiis, communicat Summum Pon
tificem Synodum Episcoporum in coetum generalem anno venienti convocandam
esse statuisse.

De Summi Pontificis mandato enixe rogantur omnes qui ad normam art. 5,
§ 1, n. 1, a et § 1, n. 2 Ordinis Synodi Episcoporum celebranda recogni
ti et aucti - cuius exemplar heic adnecto - ius habent interveniendi, ut
secundo generali coetui intersint, cuius labores die 30 mensis septembris
insequentis anni 1971, in Civitate Vaticana incipient et perdurabunt per
quattuor hebdomadas circiter.

Quod attinet autem ad ceteros (cfr. art.. 5, § 1, n. 1 b,c,d), qui ad
normam art. 6 eiusdem Ordinis eligendi sunt, rogo Te, Venerabilis Frater,
ut rite procedatur ad electionem eorum Sodalium, qui pro ista Episcoporum
Conferentia aut Unione Superiorum Generalium interesse debent.

Fas est sive Conferentiis Episcoporum sive Unioni Superiorum Genera
lium, de quibus in art.. 6 Ordinis, unum alterumve eligere Sodalium substi
tutum. Sciatur oportet substitutorum electionem, a Conferentiis Episcopo
rum et ab Unione Superiorum Generalium factam, a Summo Pontifice approbari
debere. Substituti partem agere in Synodi Coetu poterunt solummodo si So
dales, quorum ipsi vices gerunt, ad Urbem venire nequierint.

Faveas, queso, Venerabilis Frater, huic Secretariae Generali nomina
eorum qui electi fuerint, communicare saltem duobus mensibus ante Synodi
generalem coetum inchoandum (cf., art.. 6, § 1, n. 6, et § 2, n. 3 Ordinis).

Argumenta a Summo Pontifice selecta ut in Coetu pertractentur haec sunt:

1. De sacerdotio ministeriali
2. De Iustitia in mundo.

Fiet insuper Communicatio de "Lege Fundamentalii Ecclesiae".

Specialis Commissio constans Episcopis, Theologis et Sacerdotibus ex
variis nationibus, parat schema de sacerdotio ministeriali, visis his quae
a pluribus Conferentiis Episcoporum proposita sunt et a Consilio Secre
tariatus Synodi, tamquam summa lineamina quaestionis indicata, necnon consi

deratis disceptationibus Commissionis Theologicae. De isto specimine schematis a Consilio Secretariatus disceptabitur antequam ipsum ad Synodos Ecclesiarum Orientalium, Conferentiasque Episcoporum mittatur.

Circa argumentum "De Iustitia in mundo" etiam schema parabitur a peritis in materia, consultatione facta cum Consilio Secretariatus Synodi.

Nisus huius Secretariatus erit ut quam primum schemata haec ad Synodus Ecclesiarum Orientalium et ad Conferentias Episcoporum necnon ad Unionem Superiorum Generalium perveniant ita ut tempore opportuno ab omnibus quorum interest examinari possint.

Quae dum significo, omnia fausta Tibi a Deo adprecor atque, qua par est observantia, me profiteor

Tibi add. *mum*

+ LADISLAUM RUBIN, *Secr. Gen.*

Allegato

CONSILIO PRO PUBLICIS ECCLESIAE NEGOTIIS - N. 7952/70 -E CIVITATE VATICANA, DIE 1.XII.1970 - Rev.mo Domino LADISLAO RUBIN, Episcopo tit. Sertensi, Generali Secretario Synodi Episcoporum, Romam.

Reverendissime Domine,

De mandato Summi Pontificis tecum communicare festino SS.*mum* Dominum Nostrum Paulum PP. VI Synodum Episcoporum in coetum generalem anno venienti convocandam esse statuisse.

Pro munere tuo igitur humanissime curabis ut omnes ad illum coetum pertinentes in Civitatem Vaticanam, ac quidem die xxx mensis Septembris proximi anni MCMLXXI (quo liturgica memoria S. Hieronymi Doctoris recolitur), Deo favente congregentur.

Libenter demum hac utor opportunitate obsequentes animi mei sensus testandi meque profitendi.

Reverentiae Tuae
uti fratrem

I. CARD. VILLOT